DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VENARUM INFLAMMATIONE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VENARUM INFLAMMATIONE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DUMBRECK,

SCOTUS,

CHIRURGUS;

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1822.

PATRI SUO CARISSIMO,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM PIETATE

FILIUS AUCTOR.

PATRI SUO CARISSIMO,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM PIETATE

DEDICAT

FILIUS AUCTOR.

NECNON,

VIRO OPTIMO

ROBERTO BURT, M. D.

CUI MULTA BENEFICIA ACCEPTA

REFERRE DEBET

HANC OCCASIONEM,

GRATIAS PERSOLVENDI

LUBENTISSIME ARRIPIT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VENARUM INFLAMMATIONE.

AUCTORE GULIELMO DUMBRECK.

HAEC affectio scilicet Venarum Inflammatio attentionem medicorum sibi tantum nuperrime attraxit. HUNTERUS JOANNES naturam hujusce mali primo detegens suas opiniones de hac re in medium protulit, et in transactionibus medicis demonstravit, telam reticulatam sive sponte sive causa externa (veluti fractura composita aut artu discisso) violenter inflammatam, suam affectionem tunicis venarum majorum quae sedem in parte vexata habent per consensum aut vicinitatem communicasse. Exinde secutum

est ut ratio accurata gravium periculorum quae ex vena incisa aut ligatura eidem imposita nonnunquam oriri videntur, ab hoc inclyto chirurgo primum proposita fuerit, quae pericula et sequelae a plerisque auctoribus qui de hac re antea scripserant ad inflamationem partium vicinarum attribui solebant: Qua propter mirari quasi cogimur, naturam affectionis de qua hisce paginis, Numine volente, disserere statui, a vetustioribus non elucidatam esse, praesertim quum ars chirurgica his diebus pristinis in cunabulis erat et operationes inconcinnae ac agrestes quas chirurgia hodierna ex toto mutavit, multas occasiones hanc rem ad imum indagandi illis diderunt; quoniam manus suas saepissime sed inornate in venis morbide correptis exercuerunt et easdem si magnae erant in membris amputatis fere semper ligarunt.

A diebus Hippocratis mos apud medicos valuit siquando venae varicibus implicitae erant vel eas puncturis perforare vel por-

tionem tubi excisione amovere, aut ligaturis duabus circum canalem tumidum appositis eum in medio dividere; et quidam chirurgi hodierni veteriores nullam moram sibi faciunt quo minus ostea venarum in artu aut tumore excisso ligaturis claudere velint. Exempla hujusmodi tamen quae post detractionem sanguinis e vena exitum fatalem habuerunt, et Saphaena ipsa infelciiter ligata cum signis etiam quae cadavere secto sese ostenderunt, nubem quasi ab oculis recentiorum amoverunt et chirurgos nostri temporis ad venas per fila coalescendas tardiores fecerunt.

Symptomata.—In venarum inflammatione ex quacunque causa inducta fuerit, omnia haec varia signa tum generalia tum localia reperiuntur, quae alias partes corporis momenti magni comitari solent, sed exempla sese nonnunquam ostenderunt in quibus aegri e luce ablati sunt, et nulla indicia morbum annunciarunt, nisi quae, cadavere post mortem secto, scalpellum detexit. Vena interdum

apud partem vulneratam ulcere simplice occupatur aut abscessus nidum sibi inter cutem venamque struens, malum ultra tendere prohibetur, dum aliàs inflammatio tractum venae totum et super et infra vulnus occupat, eademque chordae instar ex tunicis ejus et tela reticulata incumbente spissatis, per digitum explorantem vestigari potest. Si hoc acciderit, morbus, ex parietibus venae conglutinatis, metam suam saepissime attigerit, sed res non sese semper tam bene habent et suppuratio in vena consequi solet; pus attamen quidem limites adeo arctos servat, ut abscessus parvus tantum in cavitate venae prope orificum habitat. Funiculus horum abscessuum iter venae totum interdum invadit, alii ab aliis per lympham coagulabilem solummodo disjuncti, et in his casibus vena quasi funis apparet, nec sanguis exinde profluere potest, aut ligatura in brachium imposita unquam tumere gaudebit.

In his exemplis ubi signa inflammationis

limites tutos transcurrunt, nobis expectare licet, systema totum per consensum cladis particeps futurum esse, et adeo rigores ac vomitus accedunt, pulsus celer micat et calor magnus superficiem corporis vexat: Margines vulneris inflammati et eversi fiunt, dolor tractum venae sequens ad cor plerumque tendit, sed pedes suos aliter nonnunquam emittit. Dolor acutus ex motu aut pressura quavis sentitur, et pus e vulnere interdum exprimi queat, partes quae situm mali primarium possident veluti integumenta ac membrana cellullaris inflammationem participant, quibus tensio et tumefactio membri correpti superaddi possunt.

His signis perstantibus corpus totum magis magisque laborat, febris ad typhum haud vergere nonvult, vultus anxius et collapsus evadit, aegerque ex minima irritatione sese valde mobilem habet; pulsus arteriarum ab ictibus centum ad quinquaginta amplius in horae minuto impingit, calor corporis ad

gradum thermometri FAHRENHETANI centesimum tertium ad quartum usque ascendit, anxietas et suspiria adsunt, constrictio cum dolore in pectore sentitur, faeces coloris nigridi exeunt, dein delirium supervenit, et victima miser graviter perpessus, aerumnis suis tandem infeliciter succumbit. Vulnus in vena diu ante hoc tempus saepissime ex toto coaluit.

Exemplum sese mihi nuperrime obtulit ubi die secundo post accessionem rigorum et aliorum symptomatum quae febrem continuam dignoscunt, aeger venaesectionem subiit; triduo post sanguinis missionem plurimum molestiae brachium invasit, labia venae incisae eversa fiebant et signa inflammationis per breve spatium circum vulnus serpebant, die quinto dolor magnum incrementum accepit et cursum venae sequens ab humero usque ad digitos descendit. Multum duritiei et inflammationis per tres pollices infra et supra vulnus insederat unde pus sanguine mistum exprimi poterat, pul-

sus debilis erat et ad ictus centum ac quatuor respondit, calor corporis ad gradum centesimum tertium ascendit, cutis arida erat et vultus anxius apparuit.

Ab hoc stadio mali inflammatio gradatim usque ad carpum deorsum serpens totum brachium fato communi involvit, moles cujus tumere et oedoemate affici inceperit, aegrum cruciatu magno afficiens siquando membrum dolens motu aut pressura turbaretur, rigores molestissimi cum anxietate, suspirio et delirio signis jam dictis sese comites junxerunt, respiratio laboriose et cum sensu stricturae in thorace munus suum explevit, de epigastrio quoque magnopere conquestus est. Sub finem partes quae loquelae inserviunt officio suo haud facile fungi poterant, et gangraena os sacrum afficiens, aegrotum cum subsultu tendinum vexavit; lingua scabra erat et dentes sordibus incrustati, pulsus rapidus et adeo debilis erat ut per digitum vix discerni poterat, et aeger die tricesimo post venaesectionem e vita decessit.

Sectio Cadaveris.—Partibus, quae morbo implicatae fuerant per scalpellum rite dissectis, tela reticulata quod ad structuram ejus plurimum mutata videbatur, et probe explorata, isti substantiae haud absimilis erat, quae apud medicos nomine Ligamenti dignoscitur. Vasa sanguinem vehentia cum partibus vicinis adeo conglutinata erant ut vix separari possent, vulnus quod sedem suam in vena mediana cephalica habuit jam coaluerat, mediana longa a dorso pollicis usque ad cephalicam ac basilicam medianam nervum similitudine probe retulit et structuram fibratam praebuit, sed quum transversim secta ad naturam arteriae potius appropinquavit. Extremitates venae divisae ostia rotunda ostenderunt et quae nullum collapsum ut in statu sano subierunt; quum tubus ipse diffissus erat, tunicae multum crassatae erant et lamina lymphae coagulabilis ibi exudaverat, nisi apud partem antibrachii mediam ubi abscessus parvus in cavitate venae repertus est. Cephalica et basilica vena circiter pollices duos supra artus

flexuram pure occupatae sunt, tunicae quarum plus solito tenues erant et vi minima admota facillime lacerari poterant ; haec signa usque ad venam axillarem manifesta erant sed subito evanuerunt antequam hoc vasum costam primam transit. Vena per cursum totum pervia remanserat quamvis in diametro sese contraxerat et sanguinem nullum in quovis puncto continuit, valvae quoque haud conspici poterant : Investigationibus nostris ultra prosecutis vena cava cum corde statum sanum possidere reperta sunt, sed apud latus sinistrum depositio lymphae coagulabilis accesserat et color rubeus arcum aortae occupavit.

Facultas mihi fuit nonnulla talia exempla videndi quae post venae-sectionem similiter exorta sunt et in quibus signa similitudinem magnam alia aliis gerebant. In uno horum exitus infaustissimus supervenit, enim quanquam affectio localis quasi obdormiverat, morbus nihilominus arcem vitae adeo laeserat, ut aeger, die vicesimo

quinto post sanguinem detractum, violentiae mali miserrime cesserit. Vena post mortem secta per lympham coagulabilem a cubito ad humerum impleri reperta est, sed indicia morbida ultra tendere vitaverant.

In alio exemplo ubi chirurgus tumorem ex axilla amovere volens, puncturam in venam quae nomen suum ab illo loco accipit, per instrumentum ejus fortuito inflixit; ligatura una trans incisionem statim in venam imposita erat, dum altera partem vulneris inferiorem similiter vinxit; intervallo dierum septem post operationem factam hic aeger quoque morti succubuit, et cadavere secto vena infra situm vulneris sese inflammatam ac plurimum densatam ostendit: Cava ascendens cum auricula cordis dextra et ventriculo ejusdem lateris ex inflammatione laboravit, quas partes etiam color profunde rubeus invasit. Musculi vicini in gangraenam prolapsi fuerant. Exemplum simile intra hos paucos dies evenit, ubi post amputationem, arteria femoralis ac vena eodem

nodo implicitae fuerant. Die quarto aeger e vita decessit, et partibus per sectionem inspectis vena usque ad ligamentum Poupartii lympha pureque impleri reperta est, sed indicia morbida ulterius tendere cessarûnt.

Quum exitus morbi in morte terminatur, hic dirus eventus, ex inflammatione continuata tunicam venae internam possidente et ad cor serpente, originem suum nonnunquam trahit, dum alias lympha coagulabilis in venae canalem effunditur, viamque sanguinis ex toto obsidens usum tubi in posterum delet, sed pus interdum contra cavitatem venosam domicilium sibi eligit: Hae terminationes in vena eadem interdum reperiuntur utique exemplum primo memoratum optime demonstravit. Funiculi abscessuum in quibusdam casibus cursum venae occupant, et circum hos abscessus, alios ab aliis lympha coagulabili tantum-modo disjunctos, partes vicinae spissatae, induratae ac inter sese adhaerentes apparent, et san-

guis concretus in variis partibus venae saepissime detegitur.

Inflammatio quoque in quibusdam exemplis rarioribus iter a corde praeoptat, sed multo frequentius accidere solet ut versus istud organum tendere mavult, et antra ejusdem proxima invadens, fato communi obruit; sed signa inflammationis interdum per breve spatium tantum detegi possunt et subito cessantia venam reliquam quasi in statu sano relinquunt; si vero tamen caute inspiciatur diametrus ejus valde contracta reperietur.

Dominus Wilson exemplum venae cavae inferioris obliterâtae in Transactionibus Mediciis enarrans, hanc contractionem venae apud partem ejus superiorem notavit, et videtur ei, hanc conglutinationem tubi ex iisdem mutationibus effici, quae ductum arteriosum ac venosum paulo post partum concludunt: Nam obliteratio tam magni vasis per lympham congrumatam vix ac ne

vix quidem perfici poterat, aut sanguinem pusve prohiberet, quin ad cor progrederentur; quod argumenta Doctoris BAILLIE ex magna parte corroborat, actionem scilicet obliterationis nonnunquam accidere, quae haud causis usitatis pendere videtur, sed quae ex aliqua conditione vasorum nequaquam explicanda oriri putatur. HUNTERUS, HODGSON et alii hanc dispositionem conjunctioni parietum venae attribuerunt, sicuti in arteriis magna inflammatione laborantibus accidere solet, sed sententia Domini TRAVERS de hac re asseverat, proclivitatem membranae venosae in inflammatione commista, ad facultatem puris secernendi sibi suscipiendam, argumentum non parum evidens nobis praebere, tubum venae, per adhesionem parietum ejus, concretionem haud subire, sed canalem ad obliterationem gradatim contrahi, materie interstitiali tunicas venae obsidente; ex qua tubus quasi cartilago evadit, et quanquam apertura in eadem per compressionem impervia redditur, canalis tamen vena ipsa secta, facile discerni potest.

CAUSA MORBI.

Originem hujusce inflammationis, vulneri in vena facto, per primam intentionem ut apud medicos vocatur, haud iterum concrescenti, Hunterus attribuit ; necnon isti morbidae affectioni cavitatem venae ipsius invadenti ejusque margines sive labia a sese dimota relinquenti, enim si abscessus inter cutem venamque situs sit, haud aliquid injuriae in constitutionem affert, si partes inferius sitae rite ac recte jam coaluerint.

Huic vero celeberrimo quoque opinio erat, hoc malum ex cavitatibus venarum majorum operationibus chirurgicis vel casu expositis frequentissime induci, sed nihilominus difficile videtur justam rationem hujusce morbi exponere, nam si eum ulli causae locali attribuamus quomodo fieri potest, ut tam pauca exempla ejusdem sese nobis ostendant, praesertim quum quotidie venesectio

ipsa agreste ac inconcinne perficitur, et dum injuria localis a priori vix par videretur ut talem cohortem malorum evocare queat. Quinetiam porro rapida ac late diffundens natura inflammationis, et symptomata generalia quae hic apparere solent, exitum fatalem hujusce morbi, cuidam et peculiari statui conditionis attribuendum esse, nobis potius persuadere possent; nec etiam si vena post sanguinem detractum, signis antea dictis uno tempore graviter laboraret, sed alias secta incolumis evaderet, nostrum argumentum ideo labefactari debet.

Structura venarum quoque multum lucis in nostras investigationes reflectit nam reperimus tunicam externam laxatam ac tenuem esse, vasis sanguinem vehentibus abunde suppeditari et cum tunica interiore tam intime alligari ut vix separari possit. Hanc conditionem venarum BICHAT praecipue notavit, et in scriptis animadvertit texturam arterialem a venosa per hoc potissimum distingui, nam quanquam tunicae ar-

teriarum alia cum aliis intime adhaerent, tamen inter sese non commiscentur utique in venis observare solet.

Effectus quoque qui per ligaturas in haec duo genera vasorum inducuntur, haud tales sunt in venis quales in arteriis observantur, nam si vincula hujusmodi circum venam applicentur, tunica tubi interna neque in homine nec in animalibus inferioribus unquam dividitur, sed tunicae tantum modo in plicas longitudinales contrahuntur. Si canalis deinde justo intervallo inspiciatur, tunica interna equidem quasi divisa apparebit, sed si indigationes nostrae rite ac caute prosequantur, tunicam externam sive cellularem solummodo dissectam inveniemus.

Sequelae quas ligaturae in venas impositae producunt, unicuique fere arte Apollinari quam minime imbuto, sese facile in aperto habent, et experimenta quae a Doctore

Jones memoria recenti instituta sunt, hanc rem ultra dubium omnino posuerunt.

Siquando igitur ligatura in arteriam imponatur, tunica interna in toto ejus circuitu plane dividitur et lympha conglutinans jamjam deponi videtur; haec exudatio paucis horis post operationem, ex fissura per ligaturam facta secernitur, et paulatim augescens latera tubi opposita firmiter conjungit, dum portio parva sanguinis congrumati (coagulum dicta) pressuram columnae istius humoris superincumbentis comminuit, et nonnunquam ad ramum proximum propagata, adhaesionem parietum venae recentem ex magna parte defendit.*

Sed discrimen maximum quod hic observari potest, sedem suam in specie inflammationis inductae habere solet, nam statu partium caute inspecto, membrana venae investiens, seu intima ut vocatur, inflamma-

* Dr Jones on Haemorrhage.

tioni continuae seu diffusae prae aliis obnoxia videtur. Arteriae contra, raro si unquam ita afficiuntur, sed superficies interna vasorum hujusmodi per tractum totum, colore praeter naturam rubicundo nonnunquam occupatur; et quanquam hoc sub forma inflammationis et in venis ac arteriis, medicum explorantem saepe fallere conatur, tamen si partes sic affectae aqua tepida laventur, color rubicundus illico evanescit.

Experimenta quae Dominus Travers ad hanc rem illustrandam instituit, nobis ostenderunt, vulnus venae ex sanguine misso inflictum, adhaesionem directam non subire, sed portionem sanguinis novissime effusam, cuneolum quasi formare et sic orificium partis sauciatae obsidere; agglutinationem porro sic effectam, inter coagulum et margines vulneris perfectam ac integram esse, et hanc massulam sanguinus concreti fontem tandem praebere, unde nova membrana originem suum ducere possit. Si ex quavis causa suppuratio consequatur, coa-

gulum jam dictum laxatum locoque suo amotum evadit, dum actio exulcerans labia orificii sine mora occupare incipit; et in his omnibus exemplis quae sub oculis illius chirurgi illustrissimi venerunt, vulnus per ulcerationem sese amplificatum ostendit, formamque circularem induerat.

In his omnibus casibus uti Dominus HUNTERUS notavit, actio inflammatoria partes eas invadit quae inter cor punctumque vulneratum sive ligatum collocantur, et signa obliterationis quae tubus venae praebuit, portionem istam canalis occuparûnt quae versus cor a vulnere tetendit. Quandocunque inflammatio exulcerans margines incisionis aggreditur, vis illa salutaris per quam disjunctio continuitatis in vena reparari debet, pedem suum illico sistit, et labia vulneris jam eversa, cum coagulo sanguinis nunc reverà non solum inutili sed alieno facto, tantam irritationem provocare solent, quanta satis apta videtur tunicam venae internam inflammatione continuata vexare, cui peculiari affectioni vasa hu-

jusmodi quoque, ex innumeris exemplis tam obnoxia esse probantur. Defectus adhaesionis qua vulnus ex sanguine misso reparare debet, ad cavitatem venae ipsius defertur, et si thrombus solito major locum ibi teneat, si latex agglutinans iterum resolvatur aut si profluvium consequens vel arte vel casu inductum coagulum ex loco amoveat, praematura exercitatio artus, vulnus ex quavis causa irritatum veluti parte sauciata incaute refricata, aut emplastris adhaesivis eidem impositis, omnia satis valent ut singula etiam inflammationem suppurantem circa ostium vulneris excitare queant. Haec ut jam dixi causis mali excitantibus paria sunt, quanquam affectio nociva ad cavum venae ulterius vergere prohibeatur, et si modum quo vulnera in hisce vasis reficiuntur, attente spectemus, haud diu in tenebris impediemur quin rectam rationem illorum gravium periculorum proponere possimus quae venas invadere solent, praesertim quum tubus ex situ suo aliisque causis inflammationi adeo objicitur; nam si ostia ejus non secus ac arteriae tuto conjungerentur, inflammatio se-

cundaria vix ac ne vix quidem supervenire posset *.

Hoc malum in equo frequentius quam in homine accidit, et causa ejusdem sese magis in aperto ostendit, nam in illo animali integumenta, raro si unquam post sanguinem ex vena detractum, per primam intentionem ut vocatur coalescunt.† et mos qui valet ut profluvium reprimatur, labiis vulneris scilicet per aciculam retentis, utique chirurgi ipsi in labro fisso facere solent partes ad inflammationem proclives haud dubie reddit; nam acicula quae pro re extranea haberi debet, signa inflammationis gravissima excitat, et si sub-acetis cupri in eam formatum sit, stimulum adhuc majorem violentiae symptomatum praebebit. Vena jugularis externa in equo saepius praeoptatur, unde sanguis mittatur, et si ex quavis causa veluti phaleris prae-

---

* Cooper and Travers' Surgical Essays.

† Ibid.

mature indutis, pars sauciata irritetur, aut fluxus sanguinus iterum etiam consequatur. Inflammatio igitur per hunc sanguinem in partes vicinas effusum aut per curas quae fluxum ejus sistere adhibeantur haud aliter ac in homine oriri potest, et exulceratio margines vulneris occupans ad venam pedes tendit, dum signa inflammatoria haud versus cor sed potius ad caput vergere gaudent: Exitus lethalis hujusce mali in equo rarissime supervenit, sed quum res sese infeliciter gerunt membranae cerebri valde inflammatae reperiuntur et exudatio lymphae purisque in sinibus accedit, dum massula lymphae ipsius ex vulnere in vena extrahi possunt.

Inflammatio venarum quoque, ex consensu cum partibus vicinis interdum inducitur, et exempla nonnulla memoriae tradita sunt, ubi pus in venis uteri abdominisque post febrem puerperam detectum est. Doctor HENNEN in libro ejus de chirurgia militari statum vasorum inflammatum inter

causas mortis post artus discissos enumerat, exemplaria duodecim cujus in militibus apparebant qui praelio apud Waterloo facto sauciati fuerant, et in his malum formas varias induerat, dum inflammatio, suppuratio, et lympha coagulabilis in arteteriis effusa, vel omnia vel singula per scalpellum detecta sunt, dum tubi quod ad tunicas sese plurimum crassatas habuerunt. In his signa inflammationis tam arctos limites tenuerunt et adeo mitia erant, ut necessitas nulla existeret cur ad missionem sanguinis copiosam confugere oporteret, et in quibusdam malum ad typhum spectabat.

Dominus GUTHRIE in opere suo optimo de plagis per tormenta bellica inflictis, nos certiores fecit sese eadem signa in venis majoribus detexisse; sed opinio quam hic auctor non mediocris protulit, a sententiis multorum de hac re aliquantulum dissidet. Quandocunque exempla hujusmodi sub oculos ejus venerant, semper in animo concepit vasa consocia mali tantummodo evas-

isse, et morbum qui per plures dies ante saevierat, effectus suos per consensum venis solum communicasse aegrumque e luce sic celerius amovisse. Sed hic scriptor eodem tempore ingenue fatetur, hanc partem pathologiae, omnem attentionem quam meruit ab eo haud vindicasse, quanquam multa membra post mortem cura solita inspexerat; sed ulcerationem et gangraenam in locis multis detectus, ratus est malum in superficie artus mutilati primo incepisse, et citius aut serius ad vasa propagatum finem aerumnis aegri exinde maturius imponere.

Dominus Carmichael in scriptis suis enarrat, ubi vena femoralis per acum puncturata aegrum abripuit, quum arteria concomitans propter aneurisma in poplite secundum artem liganda esset, et aliquot monitis quomodo vena evitari possit praefatis, pro certo habet multos post amputationem ex hac causa infeliciter perire. Quum erysipelas in nostro nosocomio nuper grassaretur, pleraque exempla infausta eodem tempore ae-

gros vexarunt, in quibus inflammatio venae et gangraena musculorum brachii nimis justam causam exitus fatalis praebuerunt.

Tempore quo erysipelas nuperius in nosocomio valuit, multi eorum e quibus missio sanguinis praescribenda fuerat vel inflammatione circum vulnus laborarunt, vel abscessus et indicia magnae excitationis in tela reticulata ambienti ostenderunt, ex his unus tantum haud incolumis evasit, aeger videlicet qui, osse femoris fracto tandem convaluerat sed erysipelas faciem ejus infauste aggrediens, bis ex vena eadem sanguinis detractionem subiit; die quinto systema violentia cladis premi videbatur, et sex diebus abinde homo morti occubuit. Vena post lethum inspecta, apud partem unam lympha tumuit, sub qua tubus nihilominus speciem naturalem retinuit, apud alteram coagulum sanguinis venam obsedit, dum portio tertia super valvam sita, vacua sed haud morbide correpta apparuit. Diagnosis nostra in morbo de quo hisce paginis dis-

serimus in aperto haud facile tenetur quanquam recta notitia ejusdem plurimum ad rationem justam medendi conferret, nam si cursum rapidum quem inflammatio tenet et graves affectus exinde inductos recte consideremus, plane videbitur violentiam mali aegrum nostrum aliquando oppressuram esse priusquam natura ejusdem sese medico exploranti ex toto evolverit. Affectiones morbidae igitur quibuscum inflammatio venarum plerumque confundi potest, sunt status inflammatus fasciae membranae cellularis aut vasorum absorbentium et diagnosis multo difficilior fiet si quodvis horum cum alio simul conjungatur. Nemo medicus est cui illa levis inflammatio quae post venesectionem saepe occurrit ignota esse potest et quae ex membro nimis matutine exercitato originem ducit. Haec affectio nisi per paucos dies durare gaudet et labia vulneris opposita inter sese tuto concrescunt, dum alias signa inflammatoria latius serpentia naturam erysipelatis sibi assumunt; interdum quoque phlegmon aut supra vul-

nus insidet, aut nidum sibi in tela brachii reticulata aliter struit.

Physiologia nobis clarissime ostendit, vasa lymphatica dicta, sensu plurimo praedita esse, et quum reputemus hanc partem machinae animalis actionem inflammatoriam citissime suscipere, nihil obstat quin hanc sententiam sustentari velimus. Siquando sic morbide corripiuntur, malum suum partibus vicinis communicant et quasi funiculi essent pedes suos ad summum humeri tendunt, et vel infra vel supra vulnus tractum sibi habent. Saepe est ubi vestigia eorum propter faciem partium incumbentium colore rubicundo tinctam per oculum detegi possunt, dum sedes iterque suum membri superficiem tenens, vetat ne cum venis confundi queant; abscessus quoque per tractum lymphaticum interdum serpere praeoptant, dum alias, glandulae axillam et culbitum occupantes, in supurationem decidere videntur.

Ex fascia aut membrana cellulari subjacente inflammata, effectus generalis nequaquam leves interdum consequuntur, brachium acute vexatur et per spatium ejus totum saepissime dolet, sed membrum veluti si arte aut vinculo quovis ligatum esset, hanc affectionem prae aliis praecipue designat, nec artus nisi cum dolore gravissimo moveri potest; digiti et antibrachium in hoc morbo ex contractione saepissime laborant, nonnulla exempla cujus et in scriptis Domini ABERNETHY et in dissertationibus medicis unusquisque reperire valet.

In pluribus casibus ubi mors sola finem aerumnis aegri imposuit, exitus fatalis vel ex gravi irritatione aut suppuratione copiosa aut gangraena musculos invadente oriri videbatur, sed quum haec pestis posterior arcem vitae pulsare audet, discrimen nostrum magis in tenebris adumbrabitur, et fere nihil semitam officii nobis ostendere poterit; sed sensus doloris praecordia occupans, respiratio difficilis ac laboriosa, cum

duritie venae aliquantulum lucis indagationibus nostris fortasse reflectet.

CURATIO.

Quò morbo venienti melius occurrere possimus nulla mora in nobis esse debet quin ad auxilium praesentissimum confugiendum est, et sanguis igitur pro re nata iterum iterumque mittendus est, alvus per medicamenta satis efficacia libere ducatur, et nulla cura omitti debet ne inflammatio in suppurationem aut effusionem desinat; hirudines quoque in brachium imponendae sunt, solutiones frigidae aut quod saepe melius respondet cataplasmata sive fomenta ex usu magno inveniuntur, vesicatorium satis longum tumefactionem brachii sub mea cura plurimum diminuit, et hoc apud veterinarios ut solum ac remedium specificum adhiberi solet.

Illa remedia solummodo proderunt quum morbus parum processerit, sed si symptoma-

ta ad typhum vergunt, spes nulla aut levamen mali aegro plerumque contingit, et fere nihil medico jam reliqui fit nisi vinum et similia praescribere, quae vires naturae vel reficiant aut signa molesta quam maxime permulceant; pus vel extorsum tendere potest aut tubus vasi per lympham obstruatur, si vires aegri tantum onus sustentare valent. Dominus HUNTER suadet partem inflammatam ita comprimendam esse, ut labra vulneris agglutinentur, et si non recte adhaereant aut in suppurationem incidant, tunc penicilum super partem affectam gerendum esse, per quas curas ipse aegrum similiter querentem feliciter tractavit.

Multae opiniones jam publice prolatae sunt de exitu infausto qui aegros inflammatione venarum laborantes tam saepe abripere solet, et terminatio morbi lethalis inflammationi versus cor et cerebrum tendenti ab aliis attributa fuit, dum alii putaverunt pus in circuitum iterum absorptum partem mali maximam efficere. Sed in plerisque ho-

rum, inflammatio neque ad cerebrum, aut cor, aut etiam vasa majora processerat et nihil puris saepe in vena adfuit, dum exempla ea quae cursu incitato ad mortem properabant vera inflammatione adhaesiva laborabant, in qua nulla secretio puris accidere solet. *

Munera quibus venae funguntur, spatium in corpore quod per haec vasa occupatur, natura inflammationis diffusa ac devastans, in nonnullis exemplis fere justam rationem mortis praebuerunt, sed utique ipse opinor, notitia nostra de hac re adhuc in tenebris et dubio tenetur. Vena inflammata non quotidie sed potius raro occurrit, et si quando accedit malum per continuitatem solam ad partes vicinas grassatur ; exempla quidem non desunt, in quibus tunica intima arteriae inflammationem ejus ad cor transmiserat, sed hoc in arteriis rarissime accidit, in venis heu ! nimis saepe bacchari gaudet.

---

* Cooper and Travers' Surgical Essays.

FINIS.